

sanctimoniam eam, quæ Deo probetur, oratione in publico commouere. Intellexerunt id à primis vsque Ecclesiae temporibus viri magni & præstantes; itaque numero non exiguo ad iuuandas muneris huius partes certatim velut accurrerunt: Hinc scilicet illæ tam variæ ac multiplices sanctorum Patrum Græcæ simul ac Latinæ Commentationes, Meditationes, Homiliæ denique & præcepta atque instructiones ecclesiasticæ: Inter quas nominare libet solos illos quatuor præclaros D. Augustini De doctrina Christiana libros, quos totos hoc argumenti genere occupauit. Videbat enim vir consideratus & ecclesiasticæ rei peritissimus, tanta opus esse accuratiori præparatione, quanto muneris huius, præ reliquis in humano genere muneribus, maior est tum excellentia, tum grauitas. Nam quod ad eos attinet, qui hic minimè omnium præceptis ac præparatione opus esse existimant, propterea quod vel à natura ipsa ad concionandum instructi simus, vel quod diffidentiae speciem habeat, sollicitum esse de iis, quæ pro concione dicturus sis; utpote cum Spiritus sanctus omnia etiam imparatis ac securis insuggesto sit suggesturus; eos certum est errore teneri minimè tolerando. Etenim ut posterioribus

ribus